



EX LIBRIS  
ILLVSTRISSIMI VIRI,  
DN. DAN. LVDOLPHI,  
LIB. BAR. de DANCKELMANN,  
S. REG. MAI. BORVSS. CONSILIARII  
STATVS INTIMI, cetera,  
BIBLIOTHECÆ ACAD. FRIDERICIANÆ  
TESTAMENTO RELICTIS.

APOPHORETVM

MAGNIFICO VI  
ro, Nobilitate generis, Sapi  
entia, doctrina & virtute præstanti, D. Rein  
hardo à Baumbach, Reuerendissimi princ  
pis ac Domini, D. Ludouici, confirmati Ab  
batis regalis & exemptæ Ecclesiæ Hers  
feldensis, Mareschallo, Domino &  
patrono suo omni obseruan  
tia colendo dicatum

à

MICHAELE VRANIO  
Hennacensi.



SMALCHALDIAE MICHAEL  
SCHMUCK IMPRIMEBAT,  
ANNO M. D. LXXIII.

11

10

## APOPHORETVM.

**A** Nnuā meta redit Iano sacra biforni,  
Qui quod eat semper, nomen euntis habet.  
Fingitur ille bifrons, in se quia uoluitur annus,  
Occurrensq; sibi propria terga uidet.  
Ingrediens anni tacite labentis amico  
Principium strenas mittere quēq; iubet.  
Qui mos à TATIŌ manauit rege sabino,  
Munera uerbenas strenia sylua dedit.  
Pro trena reliqui Strenam uoluere uocari,  
Quod bona consimili tertia sorte notet.  
Grammatici ratio, licet ingeniosa, faceffat,  
Historiae ueri cū documenta probant.  
Fertur item (refero, multis quae uera uidentur)  
Altera principium caussa dedisse rei.  
Sole gradu quinto Capricorni signa tenente,  
Quae lux à decima septima mensis erat:  
Saturno, saturo nunquam fugientibus annis,  
Egerunt septem per stata festa dies.  
Munera, quae poterant, ultrò misere citroq;  
Blanda uoluntatis signa dedere suae.  
Dulcia, mellis opus, tribuerunt liba Cyrenae,  
Cerea Publicio lumina Roma duce.  
Inde uolunt factum, praesentia secla sub anni  
Ut finem xenium dent xeniumq; petant.  
Sed magis arridet, prior est quae reddita caussa,  
Iudicij cunctis libera sensa patent.  
Ergo quod primis exacti solibus anni  
Donabas xenium uir generose mihi:  
Mente memor recolo. Sed quo te nomine dicam?  
Difficiles horret lingua latina sonos.  
Teutonicus nobis incognita, Teutonibus oram  
Qui colimus, sermo nomina multa tenet.  
Quodq; magis mirum, Romana, pelasgica scimus,  
Scimus hebraea: suos patria lingua latet.  
E quibus innumeris (quis dixerit omnia) dicam  
Non nisi proposito commoda pauca meo.

Hatto patrem sonat, hinc CHATAE ducuntur et Hatti, 1.  
 Quos genus Hassorum tempora nostra ferunt.  
 Perfugium populi LITAVICVM Saxo uetustus 2.  
 Nomine principibus conueniente uocat.  
 VIRIDORIX flexu Romanis denotat apto, 3.  
 Qui pacis diues, Martis abhorret opus.  
 Quem facit acceptum superis hominiq; probatum  
 Gratia, BERTHOLDI nomen & omen habet. 4.  
 AEqui seruantes animos iustiq; tenaces  
 signat ANOROESTVS commodiore sono. 5.  
 RAMINIUS bellis acer ductorq; uirorum 6.  
 Fertur, quem uaro Roma iacente timet.  
 Sed quò digredior? te compellare uolebam,  
 Quem decorat uirtus, nobilitatq; genus.  
 Qui ratus esse parum, clarere propagine gentis,  
 Artibus ingenuis pectora docta colis.  
 Nam postquam (fuerat quæ barbara natio) coepit  
 Germanis fieri notior artis honos:  
 Nobilium doctis insignia lata fuere,  
 Par equiti aurato nomine Doctor erat.  
 Annulus inde datus Doctoribus atq; Magistris,  
 Patricij proprius sanguinis ante fuit.  
 Hunc Plato diuinus, Theophrastus gessit eundem,  
 Magnus Aristoteles, lumina clara scholæ.  
 Est tamen & generis non contemnenda uetustas,  
 Græcia de prisco nomen honoris habet.  
 Arguios sequitur Latium: quod dignius esse  
 Duci. ar, antiquum lingua latina uocat.  
 Insuper in nobis accedit opinio nata,  
 Quòd similem prolem stirps generosa creet.  
 Proposito in serui paulum diuersa relictò  
 Conscijs, in caussa nomen utrumq; tuum est.  
 MARSCHALCVI ueteres equitum dixere magistrum, 7.  
 Qui tibi militiæ Roma tribunus erat.  
 Postea cum uocis ratio premeretur & usus,  
 Sumserunt titulum munera plura sibi.  
 Nam quia corruptit patriam gens exera linguam,  
 Vix prisicum agnoscit trita loquela sonum.

REIN

8. REINHARDI dubiam facit altera syllaba mentem,  
Quæ placeant alijs ceu meliora sequar.  
Eximium pacis Reinhardum ostendere robur,  
Obdentem Iani fortia claustra, putant.  
Accipiunt alij purum ingenioq; pudicum,  
Turpia qui damnans, pectora pura fouet.  
Qui sordet, sordescat adhuc, sordescat in æuum,  
Corda DEI uultum non nisi munda uident.  
Sed nimie ambages & longa exorsa molestant,  
Nunc coeptum caussa continuabo caput.  
Hic uerò quantus sese mihi scrupulus infert?  
Excussus calamus quo propè linquat opus.  
Promisi xenium me uelle remittere: dignum  
Mittere quod possim uersibus, ecquid erit?  
Scilicet aggressus timui, ne grandibus ausis,  
Deficerent uires, sustinuiq; stylum.  
sed sperare iubent benè cum Pyrrhone Saleius,  
Antiochus, iuncto Bessarione, Maro.  
Quippe uiris magnis chartacea dona probarunt,  
Præter enim laudem non retulere nihil.  
Quiq; mali uates strepuerunt inter olores,  
Patronos etiam Boethus & Anser habent.  
Sic si magna licet paruis componere, quanquam  
Censeo magnificum magna decere uirum:  
Non reprobanda suo sunt uilia tempore, parua  
Sepe uoluptatis plus & honoris habent.  
Pomum Artaxerxi, Bertæ dant tenuia fila,  
Quod nequeunt auri multa talenta dare.  
Ergo quid exhibeam? quia splendida munera desunt.  
Mala mihi desunt aurea, Gangis opes.  
Est hic est animus diues, qui spernit opum uim,  
Doctrinam pretio qui benè credit emi.  
Paucula uerba dabo, quæ sola incompta supersunt,  
Teq; penes grati pectoris obses erunt.  
Vota precesq; feram, quæ iam ratione monemur  
Temporis, & sotia ferre iubente fide.  
Auspicium felix idemq; sit exitus anni,  
Propulsetq; malum dextra benigna DEI.  
TEDEVS

Te DEVS incolumem præstet, tibi proroget annos.  
 Consilij adsit, cunctaq; facta regat.  
 Publica promoueas ut commoda, castraq; serues  
 Musica, quæq; facis, sint operata DEO.  
 Summe pater rerum seruator & arbiter orbis,  
 Ad cuius uertum terra poliq; tremunt:  
 Egimus hunc salui (quod non sperauimus) annum,  
 Testamur memores munus id esse tuum.  
 Attenta libeat si mentis reuoluere fastos,  
 Argumenta tui multa fauoris habent.  
 Si uacat annales scrutari, plurima pœnæ,  
 Plurima iusticiæ sunt documenta tuæ.  
 Non urbs non regio, non curia, templa scholæ,  
 Talibus exemplis non domus ulla caret.  
 Dogmata quod sincera uigent, ecclesia fulcris  
 Quod stat nixa suis, munus id omne tuum.  
 Sacra nouem merito quod sunt in honore sororum,  
 Quodq; scholæ florent, munus id omne tuum.  
 Ordo magistratus quod non uastatus ab apris  
 Ciuilis perijt, munus id omne tuum.  
 Improba concussit dirum Bellona flagellum,  
 Lenijt hanc pœnam, contudit arma DEVS.  
 Letiferi serpsit latè contagio morbi,  
 Sed metas statuit pro bonitate DEVS.  
 Hinc male suada fames annonæq; chara premebat,  
 Sed mortis domuit monstra ministra DEVS.  
 Nube nigrum crebro cœlum fuit igne minatum,  
 Sed mortale genus munijt umbra DEI.  
 Circumijt Satanas, rabies quem uexat edendi,  
 Impastus patulo gutture septa leo.  
 Mandere molle pecus, timidum raptare petiuit,  
 Improba cum teter lauerit ora cruor.  
 Sed tuti exercent balatum in ouilibus agni,  
 Pastoris uigili caula quietâ fide est.  
 Pro nostro Michael magnus stetit agmine Princeps,  
 Dicitur Immanuel nomine, req; fuit.  
 Non DEVS effudit totam mitissimus iram,  
 Non uitij nostris præmia digna dedit.

A iij Gratia

Gratia sola DEI, quod non consumpta iacemus,  
Quod non in nihilum massa redacta sumus.  
Ergo DEO grates mens fert & munera laudum,  
Acceptumq; DEO, quicquid habemus, habet.  
Non sciocaustra boum, non occidet hircus ad aram,  
Oris homo uitulos, mystica thura dabit.  
Insuper erigimur diuino numine freti,  
Præsidijq; fides indubitata manet  
Qui nos eripuit, qui nobis affuit anno  
Præterito, posthac prospera secla dabit.  
Qui laceram dubio seruauit in æquore cymbam,  
Efficiet, uelis mollis ut aura cadat.  
Nunc quia, quod potuit, stylus exegisse uidetur,  
Et bona uerba tibi magne patrone tulit:  
Quid prohibet? reliquis alacres ne fausta precemur,  
Addentes animo supplice uota DEO.  
Christe DEI fili, puer edite uirgine Christe,  
Qui mare, qui terram, qui regis astra poli.  
Quem non totius concludit machina mundi,  
Omnia qui forti sub pede regna premis:  
Dexter ades nobis, tibi credita templa tuere,  
Prouehere synceræ religionis opus.  
Si reliquæ fuerint artes cultiq; libelli,  
Pars erit à nostris magna leuata malis.  
Imperijs moderator ades, quò iusta ministrent,  
Et positis armis otia sancta colant.  
Effice, consilij regat ut prudentia regem,  
sedulus officij iura seuerus agat.  
Muneris autorem timeat sceptrumq; tonantis,  
Omnia qui statuit regna mouetq; loco.  
Iusticiæ studeat, legum decreta sequatur,  
Principibus morem subdita turba gerat.  
Alter in alterius securus amore quiescat,  
Membraq; cognatæ carnis honoret homo.  
Sint animi sani uires in corpore sano,  
Semina morborum discute tela necis.  
Candida priuatas concordia muniat ædes,  
Quicquid agunt, laudi seruiat omne tuæ.



Te celebrent, uitæq; sacrent tibi totius acta,  
 E terræ fundis qui bona cuncta sinu.  
 Institui rectè sobolem sit cura parentum,  
 Et soboles peragens iussa parentis amet.  
 Dogmata discipulis instillent sana magistri,  
 Moribus ingenuis corda tenella colant.  
 Sint faciles serui, faciant mandata fideles,  
 Impositumq; ferant sponte laboris onus.  
 Christus enim serui dignatus sumere formam,  
 Non humilem supera spreuit ab arce locum.  
 Vnanimis degant, communia gaudia lecti,  
 Consortes, simili tristia sorte ferant.  
 Gnaua iuuenta DEVM timeat, sit congrua legi.  
 Doctrinæ capiat robur, honesta probet.  
 Legitimum seruet pubes castumq; cubile,  
 Ut stimulos carnis pectora pura premant.  
 Vincet onus durum patientia, fortior ibit,  
 Si mala ferre iuuas, quos mala ferre iubes.  
 Quos angunt uarij morbi, medicare dolentum,  
 Ut uigeant semper corda parata tibi.  
 Res angusta domi quibus est, hos paupere cultu  
 Christe leua, tenui sint alimenta gregi.  
 Diues agris, diues nummis succurrat egeno,  
 Et collecta pijs usibus ara locet.  
 Orbis in exilio suprema uiatica uitæ  
 Comparet æternæ, non peritura situ.  
 Qui manibus faciunt operas tenuantq; labore  
 Corpora, iusticiæ debita lucra ferant.  
 Deniq; præcones uerbi templiq; ministri  
 In dura positi quòd statione merent:  
 Ardua quas poscit prouincia, suffice uires,  
 Te superent freti cuncta pericla duce.  
 Talia concipimus iam Christi nomine uota,  
 Simus ut æternum turba probata DEO.  
 Sed quoniam celerant obscura crepuscula noctem,  
 Mundus in extrema fece malignus agit:  
 EXoptate Veni Latè DoMINator iesV.  
 Perfice, quæ libri perficienda monent.

Ne

*Ne bone Christe ueni, finemq; impone labori.  
Protinus en uenio: ne bone Christe ueni.*

FINIS.

1. Hete, pater, è quo sunt Otho, Attila, Etuta, Adol-  
fus, etc.
2. Litauicus Cæsari est Ludouicus, Gallis Clodo-  
uens, à Leut uel Lüt/et wick/refugium, unde Brun-  
wig, id est, Arx Brenni uel Brunonis, Loswig/Her-  
wig etc. Auentino, der Leut weg.
3. Viridorix uel Eparedorix est Fridericus, frie-  
denreich/Fretella.
4. Werdhold / gratiosus, Hildebertus, Holduere-  
dus, Auentino Berichtholdus.
5. Anorcestus, Cæsari Ariouistus, Floro Ariobisto,  
Ehruest/Ernestus.
6. Arminius, alijs Herminius est Hermañus, Heer-  
man/Iustino Caramandus.
7. Equos nominarunt Galli Marcas, è quo reliqua  
sunt, mehre Mahrstall. Schalck honesta ueteribus  
fuit appellatio, uti hodie uocabulun Bube in Mys-  
nia & Germania superiore. Gottschalck / seruus  
Dei, Hebraicè Abdias. Alijs uidetur uidetur dici  
Marschalcus quasi Maior uel Meyer Stallherr.
8. Reinhardus fortè Rugenhart / Raymundus; aut  
Reinatr/alijs Regenhart.



Nov 1996

8

ULB Halle 3  
002 063 808



nicht aufg., da unvollst. u.  
nicht zu ermitteln!

28 a / 50 1996 |

VB 17

M







11  
10

APOPHORETVM  
MAGNIFICO VI  
ro, Nobilitate generis, Sapi  
entia, doctrina & virtute præstanti, D. Rein  
hardo à Baumbach, Reuerendissimi princ  
pis ac Domini, D. Ludouici, confirmati Ab  
batis regalis & exemptæ Ecclesiæ Hers  
feldensis, Mareschallo, Domino &  
patrono suo omni obseruan  
tia colendo dicatum

à  
MICHAELE VRANIO  
Hennacensi.



SMALCHALDIAE MICHAEL  
SCHMUCK IMPRIMEBAT,  
ANNO M. D. LXXIII.

